

Theses medicae inaugurales, de dentitione difficili, : variolis et rubeolis tanquam tribus morborum classibus superandis infantibus.

Contributors

Depré, Johann Friedrich, -1727.
Grasso, Heinrich Hieronymus.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joh. Henrici Groschii, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sbpwzqsv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

O. A. M. D. G.
THESES MEDICÆ INAUGURALES,
DE

DENTITIONE DIFFICILI, VARIOLIS ET RUBEOLIS

TANQVAM
TRIBUS MORBORUM CLAS-
SIBUS SUPERANDIS INFANTIBUS,

QUAS DEO PROPITIO, ET
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN HAC ALMA ELECTORALI GERANA
UNIVERSITATE

SUB PRÆSIDIO
DN. JOANNIS FRIDERICI
DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, ANATOMIÆ, BOTA-
NICES ET CHIRURGIAE PROFESSORIS PUBLICI, FACULTATIS MEDICÆ
ASSESSORIS ORDINARIJ & p. t. DECANI, NEC NON CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORIS

*FAUTORIS, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SUI
SUMME DEVENERANDI,*
PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES JURA ET
PRIVILEGIA DOCTRINALIA LEGITIME CAPESSENDI
HENRICUS HIERONYMUS GRASSO,

Erfurtensis,
A.A. L.L. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTER, MEDICINÆ BACCALAUREUS
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET,
DIE FEBRUAR. MDCCXX.
IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS HIORIS CONSVETIS.

23
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
DOMINO,
DOMINO
**FRIDERICO
WILHELMO
L. B. A BICKEN,**

METROPOLITANÆ ECCLESIAE MOGUNTINÆ, NEC
NON EQVESTRIS S. FERRUTII IN BLEYDENSTADT
CANONICO CAPITULARI,
PRÆPOSITO CLINGEN-MONASTERIENSI,
SACR. CÆSAR. MAJEST. JUDICII AULICI
CONSILIARIO,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI
CONSILIARIO INTIMO,
AC CIVITATIS TERRITORIÛQUE ERFURTENSIS
PRO-PRINCIPI,

Domino suo Gratosissimo.

REVERENDISSIME ET ILLUSTRIS-
SIME DOMINE
PRO-PRINCEPS,
DOMINE GRATIOSISSIME.

P*ericulosa res est descendere in duellum
absque secundante, sed gloriosa vi-
ctoria est in arenam disputatoriam
se committere TE REVERENDISSIMO
PRO-PRINCIPE patrocinate. Quis enim
de victoria dubitabit sub tanto literarum Mæ-
cenate, qui in arduis negotiis semper felix, &
palmam tulit, in quo JOANNES ADAMUS
Archi-Episcopus & Elector Moguntinus ex Il-
lustrissima familia L. Baronum DE BICKEN
revixisse videtur: Nam quod Ille ante Electo-
ratus & Principatus præstitit Ratisbonæ in
gravissimis Imperii negotiis, illud hic ante Pro-
principatus suum variis in locis non sine o-
mnium applausu gloriosè peregit, sive Viennæ
in Austria coram Casarea Majestate in princi-
pali*

pali negotio investitura peroraret, sive missus
ad aulas Electorum & Principum legatus altio-
ris momenti negotia tractaret, sive Moguntia
Supremus in Spiritualibus Dictator & Vica-
rius Generalis duodecim Episcopatus causas eas-
que gravissimas decideret, sive PRO-PRIN-
CEPS Territorium Erfurtense in flore, pace, &
concordia, nec non satis laudanda cum vicinis
Illustrissimis Principibus Harmonia huc usque
conserveret. Patere proinde REVEREN-

DISSIME ET ILLUSTRIS-
SIME DOMI-
NE PRO-PRINCEPS, ut hastis & lanceis Il-
lustrissimi Tui stemmatis armatus sub Tuis
labaris hostes academicos aggrediar, firmâ spe
fretus, fore ut rostrum aquilæ in Tuo scuto con-
spicuum mihi certam victoriam clangat: Ego
parti vexilla triumphi in æternam nominis Tui
gloriam consecrabo, meque æternum devotum
Illustrissimi Nominis Tui Patrocinio dedicabo

REVERENTISSIMÆ ET ILLUSTRIS-
SIMÆ AC GRATIOSISSIMÆ
DOMINATIONIS TUÆ

Servorum infimus

HENRICUS HIERONYMUS GRASSO,
Erfurtens.



PROÆMIUM.



Entes græcè ^{ὀδόντες} quasi edentes physicè & propriè petram inter & ossa materia neutra sunt, & singularibus prærogativis à communi ossium conditione excipiuntur; hinc os petrificatum meritò quibusdam audiunt: impropriè vero dens aliis quoque rebus tribuitur; Sic est dens vomeris, dens obliquus aratri, sic falcis acumen dens Saturni dicitur *Virgilio*; sic quoque scoptici alios dente theonino rodere dicuntur, quando illorum famam dicta vel acta sugillant nimis rigorosi Catones; non est hic proprius
usus

usus, dentis enim primarius usus est, sumptos ore cibos incidere, incisos mandere, manfos conterere, contritos per medium æsophagum in ventriculi cavitatem collaborantibus musculis ad ulteriores subactiones detrudere: Nam edentuli pultes edunt, sorbilia amant, & nequeunt duros sine dente infringere bolos. Secundarius dentium usus est, articulatam formare loquelam, ad hos enim dentes linguâ alidente resultat sonus, vox & mentis sensa intelliguntur, defectum hunc per anaplerosin artificialiter restituunt dentes eburnei. Ultimus usus dentis erit ornare hominem, dentis ebur non tam armat quam ornat, edentulus deformis est secundum illud *Martialis*, nec grata est facies, cui gelasinus abest; & *Ovidius*: si male dentata est, fac sæpe, ut rideat ipsa. Hos dentes edere in lucem infantibus, hoc opus, hic labor est, hic labor ploratibus omnia complet, constat lacrymis, & sæpe morte absolvi-
tur ipsâ; unde proverbialis rhythmus: donec sint editi canini dentes de filiis genitores non sint gaudentes. Si hos enixi sint dentes infantes miseri, nec dum alcedonia, alios quoque pa-
tun-

tiuntur manes lallantes tenelluli, succedunt inflammatoriæ rubeolæ, has sequuntur variolæ, jure non immerito fatalis lepra, virulenta pestis infantum; queis vix corripuntur, jam emoriuntur, vix variolosum miasma per contagium absorbetur, jam latens disposita in sanguine materia excitatur, deformibus istis formis parvulos sigillat, & nisi ad extimam corporis peripheriam subsequenter simul motibus convulsivis quantocyus proscribatur, tota cordis regia non sine præsentissimo vitæ periculo infestatur: Imo licet per benigna naturæ molimina motu se & excretorio illa fordes variolosa eliminetur, sæpe fit, ut sulcatæ in vultu foveæ totam hominis formam deforment, ut *Charis* in turpem mutetur sæpe *Megæram*, & quos ante dedit cutis bene glabra venustos, nunc deformatos ruga senilis aret. Has tres morborum classes si non superaverit Infans, suæ formæ ex post retinendæ incertus est, nec ut ad altiora vitæ subsellia ascendat, spes certa tenenda est, his autem morbis feliciter sublatis meliora sperare licet, faustus erit, ferosque senex excreset in annos, his tribus hostibus de
trium-

triumphatis semper victoria canenda est. Hos affectus ut plurimum infantiles dum publicâ disquisitione & inaugurali oppositione ventilabimus, aspirantem DEI gratiam submissis precibus præviè efflagitamus.

CLASSIS I. De Dentitione difficili.

§. I.

Dentitio difficilis est dolorosa & tarda dentium eruptio per gingivam ex maxillarum alveolis.

Multos dentibus armatos in lucem prodiisse, variæ testantur historiæ sic *M. Curius* & *C. N. Papyrius* viri clarissimi dentibus instructi nati sunt, eamque ob causam *Curius dentatus* dictus testante *Plinio libr. 7. c. 16.* sic memorante *Livio lib. 41. hist. Oxini* puella una cum dentibus conspicuis nata fuit. Sic *Arfamen* Persarum Regem dentatum fuisse natum narrat *Antigonus de mirab. narrat.* sic ut propinquiora nobis tempora attingam, *Richardum secundum Regem Angliæ, & Ludovicum decimum quartum Regem Gallie* polydædala natura prius dentatos quam natos & purpuratos esse voluit. An sub hac extraordinariâ & præmatura dentium eruptione isti dolores senserint, problema esto. Quibusdam nulli dentes

tes in tota vita erupere, sic *Pherecrates*, à quo *Pherecraticum* carmen, edentulus fuit, nec dentem unquam habuit teste *Vall. de corp. partibus*. Sed ordinario naturæ cursu dentes ex lamellis osseo-petrofis coagmentati utpote naturaliter requisiti in mola microcosmica pistilli protuberant ex maxillis & gingivis ut plurimum septimo ab ortu mense vel etiam quandoque citius. Prima dentium rudimenta seu lineamenta sunt primo quasi filamenta membranacea, quæ succo nutritio sero oleoso tartareo repleta inspissantur in mucum, ex mucositate indurantur in cartilagineam, ex cartilagine tertio demum mense in osseam firmitatem lapidescunt.

Quod vero hæc ossa petrosa non statim crescant uti reliquæ partes osseæ, sed potius naturaliter seminaliter idealiter ad tempus lateant, fit, ne pusiones pungant nutritias mammarum papillas, & ita cum candore lactis ruborem sanguinis exsugant, solo lacte materno decet esse contentos, nec primis temporibus convenit masticare infantes.

Quoad præcedentiam: citius erumpunt quatuor primi seu incisores, qui etiam *γλασινοὶ* risorii dicuntur, quia ridentibus nobis videntur, item lactei *die Milchzahn*/ quia primo prodeunt, & quidem inferiores, eò quod papilla, quam sugunt, eos ad egressum disponat & maturet; & ob necessitatem secundum *Aristotelem lib. 3. de generat. animal. cap. 8.* secatur enim prius, quam molitur, quod comeditur. Hosce sequuntur duo *χυιόδοντες* canini seu oculares, qui ob consensum nervorum cum oculis periculosi, quod etiam memo-

rat *Hippocrates Sect. 3. aph. 25.* illos demum molares, molitores, maxillares. Quamvis lusus naturæ hinc inde observatus sit, quod loco tot dentium unus continuus dens levisimis tantum striis distinctus fuerit visus: Sic de *Pyrrho* Epirotarum Rege testatur *Plutarchus*, & de filio *Prusæ* Regis Bithinorum refert *Plinius*, unum continuum os fuisse lineis tantum divisum. Econtra in omen giganteæ fortitudinis dicitur *Hercules* triplicem dentium ordinem habuisse, ut vult *Plinius*.

Signa dentitionis difficilis sunt: Si infans calore præternaturali exardescat, uratur phlegmonibus, tentetur pavoribus, subsiliat in somno, ploratibus defatigetur, vigiliis inquietetur, tussi agitur, si lac ex ubere matris uberius & avidius sugat, digitos calenti ingerat ori, si gingivæ in anteriori parte oris intumescant, albicentque tumentes, saliva copiosius destillet in fauces, & ductilis lymphæ dependeat ore, alvus obstruatur, vel in diarrhœam colliquescat.

Difficilioris autem dentitionis signa sunt, si hæc symptomata in gradu augeantur, si motibus convulsivis concutiatur, & strideat dentibus infans.

§. II.

Quod dentes in maxillarum loculis latentes tam difficiliter fiant erumpentes, & palam patentes, unica causa investiganda in ipsis gingivis, quarum crassities vel tenacitas firmior & durior textura pertinaciter obstat, quo minus
dentes

dentes tenera squamâ tecti tam facile illas per-
rumpere possint. Quid quod adultis etiam
dentes serotini sæpe atrocibus constent dolori-
bus; quæ omnia probantur à juvantibus, cum
vix non omnes ad emollientia tanquam ad
sacram anchoram hic confugiant.

Dolor inde trahendus, quod gingivas, queis den-
tium radices circumvallantur, levius mollificatas a-
cuti dentium cuspides sub eis latentes perterebrant,
utique illæ gingivæ ex variis fibris & nervosis inter-
textæ ramulis lancinantur & irritantur, ex irritatione o-
ritur dolor & cruciatus, spasmus, & impetuosa spirituum
animalium per sistema nervosum commotio, unde mo-
tus epileptici. Ptyalismus oritur, si fibrosa tubulo-
rum salivalium oscula moleste vellicentur à spiritibus
tunc impetuosè has partes irruentibus. Vomitus &
diarrhæa sequuntur salivam acrem deglutitam, quæ
hos effectus facilè poterit producere. Reliqua sym-
ptomata tanquam signa difficulter dentitientium de-
duci possunt ex lucta naturæ laborantis, omnesque
vires impendentis, ut dentes edantur in lucem.

§. III.

In dentitione difficili recurrimus ad emol-
lientia.

Quo ad dentitionem therapeuticè facilitandam
varii varia arcana crepant: Sunt, qui ad faciliorem
dentium eruptionem tumentes gingivas inungunt
balsamo puerorum dentitientium *Horstii vel succo* ❧

contuso & cum ∇ fl. cyani extracto, vel sanguine ex crista galli vel adipe gallinarum v. gr. R ζ . Sang. crist. gall. gt. LX. succi malv. alth. express. aa. z \bar{i} j. Succ. verbas c z \bar{i} j. M. vel ungt. dialth. \odot chamom. lil. alb. sic Michaelis, R ζ . Mucil. sem. psyll. lin. alth. C ∇ Ros. pt. alii ex affato capite leporino eximunt cerebrum, commiscent melle, butyro & illinunt gingivas. Alii cum Zuvvingero sequens summe extollunt. R ζ . \odot amygd. d. z \bar{i} j. adip. lepor. z \bar{i} j. Sperim. ceti z \bar{i} j. eff. croc. gt. XX. M. f. linim. Alii ad amuleta confugiunt v. g. ad rad. verben. ante vel post novilunium mane ante Solis ortum inter duo festa Deiparae auro effossa. Alii, ut mordendo crassam gingivae substantiam non nihil attenuent, appendunt dentitientibus lupi dentes auro inclusos, politos chalybes, crystallos, corall. rad. liquirit. Et ex Dygbæanis experimentis rad. alth. lardum, ficus dissectas, quibus infantes fricant gingivas, ut ad erumpentes ex latibulis dentes emollescant.

Quo ad symptomata in dentitione difficili occurrentia principem locum obtinent insultus epileptici quibus antepileptica & antispasmodica sunt opponenda v. g. pulv. March. & nativ. & $\frac{1}{2}$ n \bar{i} j \mathfrak{A} r lycopod. hic gingivæ truttarum tanquam specificæ præ aliis commendantur. Dentitionis tempore â quibusdam periapti loco appenditur. Rad. pæon. maris & hyoscyam in taleolos secta in media perforata, filoque seriatim colligata, vel syndone circumvoluta collo circumducitur.

Denique si planè dentes reluctentur exitum, gingiva scalpello inscinditur secundum Borellum & Paræum, sic dentibus aperitur via vi chirurgica.

QVÆ-

QVÆSTIO.

Quid sentiendum de dentibus sapientiæ?

Dentitio malum infantili ætati alioquin familiare accidit etiam adultis, quos in ætate provectâ veluti repuerascente iterum dentitionem passos referunt observationes: Sic in senibus edentulis ex residuis radicibus novi dentes repullulaverunt, cujus exemplum rei adfert *Joubertus apolog. pro paradox. 7. dec. 2.* de anu edentula nobili, cui septuagesimo ætatis anno plurimi dentes posthumi ex vetulæ maxillis prodiere. It. *Sennertus ex lit. Tithscardi* medici de matrona in Silesia, quæ septuagenaria major non absque dolore dentibus elapsis viginti dentes rursus recuperavit. De novis dentibus caninis in anno trigesimo renatis memorat. *Riedlinus*. Sic *R. P. Casparus Schottus* in *Physica curiosa* L. 3. c. 16. epitaphium decani edentuli *Kirchberig*, qui annos centum & octoginta vixisse, & juveniles annos reassumpsisse fertur, hic verbis adducit: *Kirchberig* Decanus edentulus atque canus, rursus nigrescit, dentescit, senescit, & hic requiescit. Sed ad quæstionem resolvendam: uti dentes primi incisores, sic duo ultimi in adultâ ætate prodeuntes ideo nuncupantur dentes ferotini, sophronistites seu sapientiæ, eò quòd tum demum suis loculis erumpant, quando homo jam sapit, uti econtra duo primi in ipsa infantia dicuntur incisores.

CLASSIS II.
De Variolis.

§. I.

Variolæ quasi parvi vari fortè, quia cutem variare solent, sunt tubercula, pustulæ vel pa-

pulæ majores minoresque, verbo mille abscessuli, qui critico naturæ motu, febre aliisque symptomatibus stipati in cute non sine pruritu erumpunt & suppurantur. Germ. die Blattern/ Kinder-Pocken/ Durchschlechten.

FEbris adest, hoc est motus in sanguine auctus, quo mediante fit vehementior humorum agitatio, agitatorum depuratio, & depuratorum exclusio. Motus sanguinis aliàs naturalis manet, quamdiu particulæ sanguinis, etsi diversæ figuræ, mutuo quodam concursu & subactione jugiter manent, si autem quid extranei & heterogenei vim agitativam habentis admiscetur, ultra temperiem evehitur, donec heterogeneum illud vel subigatur, vel eliminetur.

Adæquatum subiectum est cutis cum cuticula; microcosmi litora, communia corporis integumenta, ad quæ provehitur peregrinus hostis, atque median-
tibus glandulis subcutaneis materia variolosa fecer-
nitur, sub cuticula tuberculum & demum pustulam excitatura; nec tamen partes internas volumus exclusas, & ab hac peste variolosâ privilegiatas.

Subiectum causæ propinquæ materialis est massa sanguinea, in qua latens miasma variolosum accedente quâdam causâ procatarcticâ seu occasionali excitatur non sine motu orgastico febrili.

Morbus hic criticus meritò ad affectus exanthematico-pustulosos referendus tempora distincta habet, nempe ebullitionis, eruptionis seu despumationis, sup-
pura-

purationis, exsiccationis, & consolidationis. Ebullitionem indicat lucta naturæ, hinc febrilis horror, convulsio epileptica, quæ in principio salubrior quam in progressu: caput dolet, oculique tument, facies velut inflammata rubescit, & vox raucescit, item variolis præludit tussis, difficilis respiratio, pulsus adest celer atque frequens prænuncius febris, urina flammea, appetitus prostratus, pruritus narium, variolarum candidati tentantur vomitu variolarum prodromo, & qui eo carent, majori pectoris angustia infestantur.

Eruptionis individuus comes est, lassitudo artuum, dolores dorsi, vaga tormina ventris, dura alvus, alia quoque obturantur emunctoria, ut natura vi unita ad cutis peripheriam materiam morbificam eò felicius foras propellat.

Sydenham variolas distinguit in benignas & regulares in malignas seu mali moris: aliæ insuper sunt distinctæ, aliæ confluentes & confusæ, quæ periculosæ plena res aleæ, aliæ nigræ, lividæ, acuminatæ, latæ, aliæ veræ, aliæ spuria *die Wind-Pocken*.

Variolæ distinguuntur à morbillis, petechiis & maculis, eo quòd illæ præcipitato & subjugato acido illo vitioso critica sanguinis purgatione hinc inde per vasa capillaria beneficio glandularum intercutaneorum miliarium excernantur, & sub cuticula successivè in pustulas coacerventur, in purulentos monticulos intumescant, donec in pus anum & perfectum abeant, & rupta cuticulâ vel effluant, vel in se exarescant, verbo in variolis sunt excrecentiæ pustulosæ
sup-

suppurabiles & exulcerabiles, foveasque relinquunt, in aliis pustulæ evanescentes, resolubiles, & foveas nesciunt; differunt itidem materiâ colore & periculo, quamvis prioribus annis hinc inde in Germania grassati fuerint morbilli æque periculosi ac variolæ, imo plurimi subactis etiam morbillis vel exaruerè in hecticam, vel ad aliquot septimanas planè obmutuere.

Ratione eventûs variolæ bonæ spei sunt, ubi feliciter expulsæ maculæ efflorescentes exsurgunt in bullas molles albas & rotundas, circuloque rubro circumcinctas, si manus faciesque tument, si papulæ ex albo flavescente repleantur sanie, si libera adsit respiratio, si vox manet integra, si cessantibus gravioribus symptomatibus tempestivè suppurentur, & exsiccatæ crustatim decidant. Sed malæ notæ sunt, si lividæ, nam gangrænam sapiunt; si in medio nigredine tinctæ, nam malignitatem præfagiunt. Si tardè propullulent, moxvè retrocedant, nam naturæ imbecillitatem denunciant; si internas occupent fauces guttur & asperam arteriam, si pulmones & intestina exulcerent etiam ad alvi fluxum æruginoso-nigrum, si superveniat diarrhæa vel epilepsia, & spirandi difficultas, si facies assaturæ instar crustosa, arida, fitis ingens, jectigatio in lecto, & urina sanguinea. Lunâ decresciente, invadentes peiores sunt juxta praxin clinicam & experientiam, hinc vestigia plura relinquunt. Si circa diem octavum tumor faciei concidat manentibus variolis, pessimum signum est. Subinde sequuntur variolas, ut nulla calamitas sit sola se-

sequuntur graviores affectus: Sic variolæ sui vestigia per unguem seu leucoma relinquunt in pupilla oculi, item urinam verminosam & vermiculos alatos, ut fascinum putarint parentes, vel circa vasa urinaria apostema delitescere judicatum sit, ut refert *Paræus oper. chir. Lib. 19. pag. maj 563. Sennertus in praxi lib. 3. part. 8. Hollerius, Schenckius, Salmuth. lib. I. observ. 49. p. m. 32. Tulpius* item apostema coxæ cum claudicatione & atrophia memorante *Ammanno*: Item cæcitatem & paralyfin, surditatem & aphoniam hic sordidus hospes suæ præsentiae testes reliquit testibus *Hildano & Bierlingio & Ephemerid. imo secundum ephemerides, Thomam Bartholinum, Hildanum, Schenckium, Mællenbroccium* foetus variolis notatus in lucem est editus, ut foetum enixum comitetur morbus ab ortu. Plura pedissequa variolarum symptomata adducunt *Forestus, Paulinus & Doberzensky*, variique Authores, quos videre est. Paucis qui ex variolis pereunt, vel anginosi & suffocati intereunt, vel sphacelo corripuntur, vel alvi profluvio imprimis cruento extinguuntur, vel convulsi moriuntur, multum ergo malignitatis in recessu habent variolæ.

§. II.

Causa efficiens est principium vitale activum movens. Causa materialis variolarum uti omnium exanthematum est sal quoddam tenue, acidum, corrosivum, causticæ indolis ex sanguinis consortio sequestratum, & lege

C

circu-

circulationis movente principio activo ad corporis peripheriam delatum, & stamine cutis dilacerato in vesiculas elevatum. Causa finalis est sanguinis purificatio.

Principium vitale movens persæpè movetur à motore externo, à quo tanquam à causa occasionali invitatur, ut materiam primam variolarum in sanguine seminaliter occultatam aggrediatur, eam exagitet, & miasmate varioloso informatam deducat in actum. Sic conveniens motor ab extra est aër calidior & effluviis variolosis infectus, qui massam sanguineam exagitat, orgasmicum spirituum motum concitat, ut illi impetuosè commoti, & in furorem quasi excitati materiam variolosam tanquam excrementitias impuritates ex massa sanguinea expellere conentur. Non agit materia variolosa, si agere debet, nisi à motore quodam excitetur; fomes variolarum sæpe latet, atque quiescit, donec à causis non naturalibus excitata evigilet. Hinc etsi ex naturalibus causis multum contribuat connata dispositio à parentibus scabiosis, leprâ, vel lue venereâ, scorbuto aliisque morbis infectis jure hæreditario acquisita, licet hic nulla ætas privilegiata, infantilis tamen & puerilis ut plurimum huic malo obnoxia, plerumque tamen ex causis non naturalibus aër seminio morbooso imprægnatus effluviis variolosis inquinatus crassante jam hâc puerili leprâ latens variolarum seminium potest excitare. Item non parùm tribuendum est peculiaribus syderum influentiis, cum varias in microcosmo mutationes inde

dè consequi experiamur, quæ diversas humorum effervescentias, morborumque ideas suscitare solent: Sic tempore autumnii, sic tempore veris variolæ florent ob notabiles tunc in aëre alterationes; proinde ait *R. P. Kircherus*.

Astra movent auram, movet aura salumque solum-
que

His homo vivit, & his planta tenella cibus,
Sana bonos faciunt succos, male sana putrentes,
Hinc putris in liquidum pestis origo venit.

Causam materialem, sive sanguis maternus impurus talem labem affricet, sive meconium nigra sui vestigia linquat in sanguine, sive alii humores pravi materiam suppeditent, de prosapia acida & corrosiva esse patet ex convulsionibus, pruritu, oculis rubentibus, tussi, raucedine, sternutatione, anxietate præcordiorum, artuum & dorsi doloribus lancinantibus, vomitu, diarrhæa salivatione & ulceribus consequentibus, quibus ceu symptomatibus & signis vexantur variolisantes. Item elucet ex cura saltem externâ, ubi *cornu cervi ustum* pustulis variolosis inspergitur, ut pus acre imbibat, & acidum absorbeat. Accedit, quod ex rebus non naturalibus sal illud acidum corrosivum intendatur, & gradu malignitatis augeatur, si cibus & potus multum de acri & acido participant. Subindè bis patiuntur infelices homines has foedas pustulas ob materiam depravatæ conditionis copiosam, ab extra varioloso contagio inficiendam, quod & *Avicenna* olim innuit, dicens: & multoties quidem

variolatur homo duabus vicibus, quando bis aggregatur materia ad expellendum.

§. III.

Materia variolosa seu à causa internâ seu externâ in motum excitata per consueta naturæ emunctoria glandulas subcutaneas ad peripheriam corporis per diaphoretica est eliminanda, & symptomatum ratio habenda.

Variolarum eruptio est opus naturæ morborum medicæ, ei à Medico naturæ ministro parendum, primis ejus motibus per opportuna medicamenta obsecundandum, quod præstant diaphoretica bezoardica & expulsiva mitiora v. g. C. C. s. Δ . unicorn. fossil. ver. bezoard. min. $\frac{1}{2}$. diaphor. pulv. bezoard. senn. pannon. rub. cum vehiculo ∇ flor. aquileg. fl. samb. scord. fumar. scabios. succis. calendul. è tot. citr. item $\mathcal{I}R$. myrrhæ, quæ merito Tinctura salutis dicenda, si cum ess. castor. & $\mathcal{I}R$. $\frac{1}{2}$ ii maritetur, ideo myrrha prærogativam habet, eo quod peculiari modo temperet corruptum acidum. Sic etiam conducit pulv bezoard. ex C. C. s. Δ . $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$ ii $\frac{1}{2}$ io diaphor. ∇ sigillat. Lapid. bezoard. & rad. contrayerv. concinnatus vel sequens. R \mathcal{z} . C. C. phil. ppt. $\frac{1}{2}$ diaph. matr. perlar. aa. 3j. \odot purific. $\frac{1}{2}$ nat. lap. bezoard. or. aa. gr. Xij. M. f. pulv. dos. à 3ß. ad 3ß.

Item laudatur sequens liquor bezoardicus. R \mathcal{z} . Ω . \odot . d. \odot li. d. aa. 3ß. Ω . ebor. \boxplus ri volat. aa. 3ij. liquor. \odot laris. 3j. camphor. gr. vj. Si dosatim sumatur cum ∇ cordiali v. g. sequent. R \mathcal{z} . ∇ CC. citrat. scorzon. ceras. nigr. rosar.

rosar. flor. Orant. aa. ℥j. ☉. *Directificat.* 3℔. syr. acetosif.
 citr. fl. tunic aa. ℥iij. M. f. pot. DS. Träncklein zum
 obigen liquore. Item liquor antivariolaceus Dolai vel
 Waldschmidii, & Tinctura corall. flavescens ac amaricans,
 elegans remedium in variolis & sanguinis ebullitioni-
 bus, quæ paratur, Si ☉. ☉. d. parum acidulus af-
 fundatur coralliis, vel si ☉. ☉. d. misceatur anatica por-
 tione cum syr. papav. errat. additis aliquot guttulis
mixt. simplicis secundum Hoffmannum. Emulsio expul-
 siva & acidum præcipitativa esse potest. R̄. Sem. a-
 quileg. citr. excortic. napi aa. ℥j. f. L. A. c. ▽ card. b. flor.
 samb. fumar. aa. ℥j. emulsio cui add. C. C. phil. ppt. uni-
 corn. fossil. aa. ℥j. sacch. perlat. q. s. M. DS. austreibende
 de Milch Löffel weiß nach und nach zu nehmen.

Fortiora diaphoretica v. g. Spir. C. C. Tinct. Be-
 zoard. &c. in principio variolarum non sunt ordi-
 nanda, quia omnia, quæ motus sui pernecitate impe-
 tum humorum augent, addunt calcaria feбри, augent
 inflammationes, excitant deliria, genus nervosum tra-
 hunt in motus epilepticos. Motus naturæ perficitur
 mediante calore non tamen excessivo, motus naturæ
 fiunt lentè, non violentè; festina lentè, natura non fa-
 cit saltus, quod criticè fit, pedetentim fit. Si fortiori-
 bus diaphoreticis volatilibus variolæ arietentur, ti-
 mendum est, ne omnis sanguinis impuritas agatur in
 variolas non sine præsentis discrimine vitæ, quæ alias
 aliis irretita particulis aliud tempus auscultasset, quo
 per vias regias cum euphoria machinæ humanæ e-
 jecta fuisset; potius præstat inordinatos sanguinis &
 humorum motus restringere, eorumque acrimoniam

temperare, terreis anodynis acidulis & lenforibus dia-
pnoicis: ubi verò materia variolosa segnis esset, vel in
procinctu regressûs evanescere vellent, fortioribus ex-
stimulanda foret. Sæpe natura per se morbos vin-
cit, sin autem vigor hujus minor, succurrendum ad-
juvantibus, periodus enim in variolis aliquando sen-
sim & gradatim sine insigni aliqua ægritudine trans-
igitur, priusquam expulsio materiæ pustularum eru-
ptione se prodât.

Cum variolæ nunquam sint sine feбри, Medico
incumbit temperare & regere febrim, ut nec minor
sit, quam debeat, nec major, quam necesse sit; febrilem
motum motista Medicus benè dirigat, ne quid nimis,
subindè fræno eget, non stimulo, primum præstant
diaphoretica sed blandiora, quæ ebullitionem sangui-
nis æstumque febrilem temperant, & acidum simul
corrigunt. v. g. præter superius allata *corall. rubr. o-
cul. Cancr. conch. ppt. mat. perlar. bol. armen.* ▽ *catech. c.*
▽ *is specificis viol. borrag. &c.*

Præservatoriè agimus subtrahendo pabulum, vi-
tando contagium, turpius eycitur, quam non admit-
titur hospes, & *d. c. myrrha & resin. Jalapp.* multum
præservationis causa tanquam tribus hostibus vario-
larum tribuitur à *Bohnio, Etmiüllero, Horstio.* *Myrrha*
ideò conducit, eo quod peculiari modo corruptum a-
cidum temperet.

Uti in primis diebus natura non est turbanda ab
opere suo multis medicamentis, sic nec purgare lice-
bit; purgare enim esset febrim augere, & motum
naturæ criticum turbare, nisi ipsa natura proprio mo-
tu

tu per vomitum vel per alvum spontè eyceret humorum saburram.

Venæ sectio in principio facta prodest, variolæ enim citius erumpunt facta acceleratione, nam parte sanguinis ferventis ablatâ facilius defervet sub naturæ dominio, cum videamus eos variolifantes, quibus largior hæmorrhagia narium in principio variolarum fuit, felicius illis defungi, & pustulosum superare morbum. Item in febribus vena secatur tuto & cum euphoriâ, cur non in variolis? quæ nunquam destituuntur feбри.

Quo ad symptomata. Vomitus, diarrhæa non statim sistenda, præsertim si cum infirmi levamine fiant, secus tolluntur stomachicis blandioribus. v. g. ∇ cinam. cydoniat. Elix. ppr. s. \dagger do. Ω mastichin. Theriacâ & laud. opiat. nisi vires nimis prostratæ forent.

Si epilepsia insultet, compescenda antepilepticis v. g. \S nat. & \dagger ii. specif. cephal. Mich. pulv. marchion. Δ r. Φ li anodyn. $\&$ lycopod. cran. human. usnea. cran. hum. ungul. alcis. Tinct. castor. ∇ flor. tilie ceras. n. hirund. c. castor.

Oculorum exulcerationi succurritur mixtura ex plantag. euphras. fœnicul. flor. rosar. rubr. sem. anis. sacch. saturni, croc. ess. vel spiritu camphor. parata. His linteola imbuta oculorum canthis tepidè admoveantur: ita Amatus Lusitanus R \acute{e} . ∇ plantag. euphras. rosar. aa. \mathfrak{z} i camphor. \mathfrak{z} j. croc. gr. ij M. F. collyrium. Alii præservatoriè collo appendunt radicem rutæ santalo inclusam.

Ratione fovearum, hîc Medico in cura sexûs sequio-

quioris curæ sit forma faciei, de qua conservanda puellæ maximè sunt sollicitæ secundum illud:

Omnia si perdas, formam servare memento,

Quam si perdideris, perditur omnis amor.

Hinc ad istum formæ thesaurum ex integro custodiendum quidam totam faciem inaurant, sic *Dygbi* faciem ancillæ suæ ex parte foliis auri obduxit, alteram partem non inauravit, hæc multis foveis sulcata fuit, alterâ parte glabrâ permanente. Alii variolas forfice vel acu aperiunt, ut materia purulenta soluto folliculo effluat, & suâ acrimoniâ exedente non agat in profundum, foveasque relinquat plus minus profundas pro conditione acidi corrosivi. *Cnöffelius* ad præcavendas foveas suadet, ut sub erumpentibus variolis facies statim illinatur *Spiritu vini myrrhisato* vel secundum *Ettmüllerum* *saccharum saturni c. ▽ rosar. solut.* linteamine calidè applicetur. Alii *camphoram* addunt, alii cum *Lentilio* utuntur *essentia myrrhæ*. Foveas etiam explet *℞ de vitell. ovor. sperm. cet. pingued. human. ascia pisc.* miraculi instar extollit *Gisberdus*, *Horstius* sequens. *℞. ungt. citrin. ℥j. pomat. ℥β. M.* nec laudibus caret unguentum *Foresti*, egregium ad delenda variolarum vestigia. *℞. ℞ amygd. d. ℥jβ. ℞ lil. alb. ℥j. axung. capon. pingued. hirc. aa. ℥β. sarcocol. ℥β. farine orizæ lupin. aa. ℥j. lithargyr. Orei ℥β. pulv. rad. bryon. ireos. aa. ℥j sacch. ℥j.* conterantur conterenda in pollinem, cribroque tenuissimo excipiantur & misceantur. Nec omittendus *Cnöffelius*, qui lardum accendit supra scutellam flore lactis plenam, & delapsâ à lardo pinguedine eâque collecta maturas variolas illinit penicillo, quod exper-

tus

tus est in Serenissima Regina Poloniæ. Ultimo asterisco dignum est arcanum *Happeli*. R. *lithargyr. D. ʒij. incandescant in Δe pulverisa, affunde ʒti rosacei tʒß. incoq. ad 3. part. consumpt., post. R. hujus ʒti. sic ppt. cochl. ij. & ʒo rosar. cochlear. ij. M. in mortario lapideo in formam linimenti, ter de die inungantur variolæ, quando incipiunt exarescere.*

Nares inungendæ ʒo *amygd. d. c. ʒo lign. rhod. & levi particulâ camphor.*

Ne fauces gutturvè à variolis obruentibus redigantur in angustias, quidam amuleti loco appendunt *rad. succis. item camphoram.*

Ulcera diuturniora curantur *ungt. camphorat. de ceruss. vg. R. Sacch. Saturn. ʒß. cretæ. vitriol. aa. ʒj. magist. marcasit. ʒij. ungt. rosat. q. s. M. quod efficacissimum ad ficcanda ulcera, & præcavendas cicatrices.*

Ulcus corrosivum secundum laudatum *Cnöffelium* ☿ vel ☽ melle rosaceo permixtus curat.

Ad oculos nebulis post variolas obductos *Forestus Medicus Alcmariensis* commendat saccharum albisimum in pollinem redactum, & oculis inspersum, quo nebulæ, pterygia levcomata seu ungula fuere deterfa, vel sacculos ex floribus *chamomill. melilot. aa. Mij. sem. fænu-græc. ʒij* coquendos in vino, & oculis admovendos, eisdem Authori, ut & *Blasio Astario Medico Papiensi* præplacet collyrium ex *succis fænicul. rut. malv. chelidon depuratis adjecto tantillo fellis anguillæ & saccharo alb. candido & paucillo de Vitriol. alb.*

Quo ad diætam, variolosi non tractentur regimine calidiori, nec stragulis sepeliantur ægri, sic enim

vario-

variolæ copiosissimæ æque confluentes extorquebuntur; propter extricata magis salina principia dolores augebuntur, & convulsiones excitabuntur, nec non anxietates præcordiales intendentur, quale quid vix observabitur, si temperatioribus insistatur. Ab aëre frigido sibi caveant, sic teste *Foresto in observ.* rusticus variolosus vaccæ parituræ in defectu famuli succurrens aërique frigido se exponens subito periit. Potus non sit vinum, etsi quædam mulierculæ rubrum commendent, vinum enim illud adstringens motum naturæ inhibet, quo minus feliciter materia variolosa foras propellatur, potius laudatur *decoct. lentium vel ficuum* vel sequens. *Rz. hord. mund. lentium aa. ʒj. sem. fœnicul. rapar. aquileg. anis. aa. ʒj. caricar. No. IV. M. coque in s. q. ∇ fontan.* hoc decocto variolas feliciter propulsas testatur *Forestus*, cum illæ epidemicè grassarentur Alcmaria.

QVÆSTIO.

Cur variolæ ad multos sæpè annos lateant?

Salia mali moris caustica volatilia diu sine noxa cum sanguine circumvehi possunt, ut patet in hydrophobia à morfu canis rabidi, in tarantulatis, in pulvere successio- nis; sed quando laxato sanguinis vinculo sui juris fiunt, & involucro partium oleosarum extricantur, sub quo infontia ante latebant, tunc suam ludunt tragædiam, & pro suâ naturâ salino-acri causticâ spiritus & sanguinem in crasi motuque turbant. Febris hectica in suo principio parva scintilla est, quæ nisi mox extinguatur in ortu, diu quandoque latere potest, donec in magnum incendium erumpat, ipsos etiam artus depasturum. Lues Venerea pygmæus morbus est, sed gigas fit, si diu latuerit,

erit, & suâ morâ vicinas solidas partes necrosi exedit insatiabilis bellua. Arthritis in principio non est tam fœvera tyrannis, nec simul atque semel machinam humanam suâ torturâ aggrêditur, quando adhuc sub jugo aliorum humorum. particulæ acres compescuntur, & salia acria corrosiva viscositati adhuc nupta per tempora longa latent, sed ubi illa suis compedibus sunt soluta, tunc insolefcunt, & vincla nodosque artubus injiciunt. Pari modo miasma variolosum in corpore extra omnem impulsûs sphæram latens vicem fermenti habet, geritque fomitis indolem, sed causa occasionali, contagio actuali & corporeo vel virtuali totam massam sanguineam, licet ipsum exiguum sit, inquinat, ut natura coacta motum criticum instituat, istudque exorbitans miasma variolosum per solennem *excretionem* foras ejiciat, uti fæces mustume bulliens.

CLASSIS III.

De Rubeolis seu Morbillis.

§. I.

Morbilli sunt maculæ rubræ in cutis superficie motu critico à natura excitatæ, instar morsûs pulicum, febri continuâ, siti intensâ, aliisque symptomatibus stipatæ. German. *die Maasern/ Kinder-Flecken/ die Rôttelen/ rothe Sucht.*

Morbilli in sensu diminutivo quasi parvi parvulorum morbi, elogio *Langii* dicuntur parvianthraces, seu parva pestis, *Platerus* efflorescentias, seu

exanthemata magis erysipelatodea à græco ἐξανθεῖν quod efflorescere significat, denominat. Alii ἐκθύματα vocant ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν erumpere.

Febribus annumerantur ob symptomata febribus malignis communia, v. g. subitam virium prostrationem, in qua formale malignitatis consistit ; item ad classes morborum exanthematicorum admittuntur, eo quod à centro ad circumferentiam, quod hostile est, salutari motu à corpore secernit. Subjectum est cutis cum epidermide hæc enim dicitur efflorescere, & sub purpurâ latens sanguis scorias patefacere.

Morbilli alii benignæ indolis, alii malignæ prospiciæ sunt, alii sporodici, alii endemii. Differunt à Variolis, quod hæc potius naturam phlegmonis, morbilli autem vehementioris erysipelatis faciem præ se ferant. In variolis inflammatio & continui solutio, in morbillis tantum ruboris distinctio, Variolæ sunt sensibiles elevatæ pustulæ, rubeolæ sine notabili tumore tantum maculæ. Differunt à petechiis ratione malignitatis, ab erysipelate ratione diffusionis, ab aliis exanthematicis affectibus ratione durationis, figuræ, & coloris.

Imminentes rubeolas designant tormina ventris, hæmorrhagia narium, cephalalgia, febrilis pandiculatio, dolor oculorum tumidorum, & tenebricosorum, terror in somnis, tussis, difficilis respiratio, inquietudo, anxietates, & palpitatio cordis, quæ omnia ab inordinato, & irregulari sanguinis motu, & naturæ molientis lucta dependent.

Prognosin quod concernit. si morbilli eleganter
ru-

rubeant, minus periculosi sunt, quam violacei, nigricantes, & lividi, qui denotant majorem sanguinis corruptionem. Periculosiores sunt in autumno quam æstate ob inæqualem aëris temperiem. v. *Hippocratem* §. 4. §. 50.

Periculosiores sunt adultis ob habitum corporis densiorem, porosque magis angustos, validiusque constrictos.

Si non benè expellantur, morbos post se trahunt periculosos, raucedinem, atrophiam, hecticam, phthisin, quin & partes internæ à materiâ morbosâ, uti à variolosâ infestantur. Sic post morbillos gangræna secuta est secundum acta *Med. Hassn. Vol. V. anni 79. observ. 131. p. m. 328.* item pleurisis post exantlatos morbillos secundum *Ephem. germ.*

§. II.

Causa efficiens est principium activum effervescentiam seu motum illum febrilem in massa sanguinea excitans, ut particulæ heterogeneæ de caustica prosapia oriundæ tanquam causa materialis morbillorum salutarî conamine in ægri salutem, quæ causa finalis est, efflorescant, & ita tota sanguinis massa scoriis excrementitiis per poros cutaneos despumatis integrè liberetur.

Benè definivit *Sydenham* morbum, quod sit conamen naturæ exterminationem materiæ excrementitiæ

tiae omni ope molientis in ordine ad machinam corporis fartam tectam conservandam, vel reparandam, sed conamen illud nihil aliud actuat, & promovet, quam principium activum movens, quod materiam mobilem heterogeneousam conveniente crisi amovet.

Acor causticus se prodit vomitu, & diarrhæa, patet ex anxietatibus, torminibus, & spasmodis, ex pruritu fibrillarum, cutis erosione, & stimulo in partibus membranosis, antequam materia foras ejicitur. Quid quod aërem materiæ morbosæ genium dignoscamus, ex juvantibus medicamentis diluentibus, acrimoniam hebetantibus, emulsionibus inviscantibus.

Causæ mediatae, remotæ, sunt errores victus, & vitiosa aëris dispositio, ab aëre infecto sæpe evenire solet, ut morbilli contagiosè & epidemicè grassentur.

§. III.

Materia exitiosa caustica ex sanguinis contextu separanda, & secundum naturæ ductum per glandulas subcutaneas decenter per diaphnoica & leniora diaphoretica est expellenda.

Si fordes morbillosæ hostiles placido & tranquillo motu se & excernantur, per consueta naturæ emunctoria à sanguine depurentur, & ad extimum corporis habitum protrudantur, utique decurret placidè sua tempora morbus, euphoria corporis sequetur; hinc transpirationem & diffationem hujus materiæ

teriæ per spiracula cutis non impedienda, sed potius sudoriferis supra in §. III. de cura variolarum recensitis promovenda; vitanda sunt vel maxime diaphoretica calidiora, & volatilia, quæ motu tumultuario sanguinem accendunt, temperatis acrimoniam demulcentibus hic morbus optime tractatur. Natura non cogenda, sed suaviter ducenda, nisi quando reluctatur, vel segnius agit, tunc non nihil fortioribus natura stimulanda, vel si minentur regressum, qui si succederet, sequerentur summæ anxietates, virium prostrationes, animi deliquia, convulsiones cum morte. Exulent purgantia, si sollicitanda alvus, id fiat glande vel clystere quod tamen rarius suadendum est. Cum morbilli sint morbus inflammatorius sequentem pulverem ex lenioribus diaphoreticis & edulcorantibus mixtum commendat *D. Harris Medicus Anglicus* R. $\frac{1}{2}$ diaph. C. C. s. Δ ppt. matr. perlar. ppt. ocul. cancr. ppt. \odot ri. puriss. aa. \mathfrak{z} j. myrrh. $\mathfrak{z}\beta$. M. F. pulv. cuspidatim dandus, & quidem in vehiculo conveniente v. g. ∇ fl. sambuc fumar. *Richardus Morton* sequentem potionem laudat. R. ∇ fl. til. rut. ceras. N. aa. \mathfrak{z} iiij. pæon. $\mathfrak{z}\beta$. Tinct. castor. \mathfrak{z} j. Ω C. C. $\mathfrak{z}\beta$. syrup. pæon. $\mathfrak{z}\beta$. M. F. pot. cochleatim assumenda. Cum cura morbillorum cum cura variolarum coincadat, §. III. Classis II. hic ulterius consulendus.

Quo ad diætam, vitetur frigidus aër, qui necessariam in hoc negotio transpirationem impedit, & motui critico obstat, poros occludit, & exanthemata in via eruptionis repellit. Potus ordinarius sit *decodum ficuum vel lentium*; vinum nocet præsertim rubrum

rubrum ob vim adstrictoriam, & particulas inflammatorias, quæ igni febrili oleum affunderent.

QVÆSTIO.

Cur rubeolæ & variolæ adultis periculosiores quam infantibus?

Etsi infantes rubeolantes vel variolantes suos quoque patiantur manes, & gravium symptomatum satellites eos morbilli obruant, nihilque illis donetur, adulti tamen hos abscessus difficilius excludunt, illis patrocinator tenerior corporis habitus, & obstetricatur delicatior epidermis, ut faciliori negotio pariant morbos exanthematicos, his verò strigosa cutis, arctiores pori, sanguis impurior plura ponunt obstacula, atque salutarem naturæ motum remorantur, verbo de hoc morbo tali ætati in congruo merito possent conqueri, & uti omnes morbi sive ætati, sive sexui, sive tempori, aliisque modis in congrui multum difficultatis in recessu & cura habent, sic etiam rubeolæ & variolæ adultiori ætati in congruæ plus negotiû faceffunt Medico quam morbi congrui.

F I N I S.

